Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1423
Quelle:
Copyright:

ritus S. de Purgatorio, de Pane fermentato et de Primatu Rom. Ecclesiae. Ex anno supradicto Tempus, quo scripsit Noster, deduci potest. Si enim ab anno 891. qui *Photio* ultimus fuit, subputes, habebis annum 1261. quo tempore *Francis* etiamnum *CPolim* tenentibus homo *latinae* originis ibidem, quae prae manibus habemus, scribere potuit. Nihil de eo *Bibliothecarii* Ordinis sui, nisi quod *Codicis* nostri illos adtigerit notitia, ut vides in *Addendis T. II. p. 818*. Nos igitur et οἰκονομιαν ejus dabimus. In VI. videlicet *Distinctiones* abit, quarum priores IV. totidem mox enumeratos *Graecorum Articulos* impugnant, quinta de causis et tempore Schismatis agit, ultima calumnias *Graecorum* contra Ecclesiam *latinam* refert, quas inter *Germanorum* etiam benevola mentio: *Teutunici a ritibus gencium parum discordant et in Deum impii sunt*. Tractatui toti, qui in haec verba desinit: *Scriptum est enim Jerem. 50. Omnes qui tenditis archum debellare eam. i. babilonem;* adnexa est Quaestio: *quando greci fuerunt excommunicati*, narraturque factum a. 1055. sub *Leone* IX. et *Mich. Cerulario* ex ore *Pantaleonis* cujusdam, qui tum *Constantinopoli* se adfuisse testatur, in quem, dum curiosius inquiro, deprehendo Tractatum nostrum nequaquam latuisse *Bibliothecarios Ord. Praed.* recensitumque fuisse ab eis T. I. p. 136. tanquam ἀνωνυμον ad Editionem *Petri Stevartii* in *Tomo sing. insign. Autor.* &c. *Ingolst.* 1616. 4. collatam cum *Cod.* quodam *ms.* quem nacti fuerant. Quoniam vero *Codex Caesareus* et Autoris nomen omnibus ignotum retegit, et pluribus locis a dicto utroque Exemplo variat, ὁ γεγραφα, γεγραφα. Exemplum aliud recurret etiam inter *Codices* a *Carolo* VI. Bibliothecae nostrae illatos.

CCCLXXIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XVI. Folior. 20. 4. eleganter, non tamen absque mendis, exaratus, et quondam *Seb. Tengnagelii* de Bibliotheca nostra optime meriti, inscribitur: *Melitii De Eucharistiae Sacramento.* Numerosam esse *Meletiorum* in Rep. literaria familiam vel inspectus Index Generalis *Bibliothecae Gr. Fabricianae* docet. Atque hinc in tribuendo cuique Suum non raro erratum. Pronissimus lapsus est in Scriptis *Meletii* τȣ̃ Πηγᾶ sive *Pigae* et *Meletii* τȣ̃ Συρίγȣ sive *Syrigi*, quorum tamen hic ad Seculum XVII. ille ad XVI. pertinet, et proinde Tractationis praesentis autor est. Plurima de illo congessit *Euseb. Renaudotius* ad *Gennadii Patr. CPolitani Homilias* et Aliorum Graecorum *Opuscula de Sacramento Eucharistiae, Paris.* 1709. p. 91. 4. ad quem remitto, illud notare contentus, ne quem sermo *Meletii* latinus detineat, ipsum *Creta* oriundum, juvenemque in *Italiam* studiorum causa profectum, *Patavii* cursum 675

Academicum